

cat, & quæ unâ manu præbet, alterâ re-

n Rom. xi. 29. Sine penitentiâ enim sunt Dei dona.

petit [n]? S. Ignatius Martyr in sua ad Magnesianos Epistola c. 9. ita resurrectionis Prophetarum in obitu Christi meminit, quasi beneficii absolutissimi, neque subiectos illos iterum morti vel leviter quidem insinuat: Ipsum ut Doctorem expectabant, & propter hoc ipsum is adveniens suscitavit ipsos ex mortuis. Pseudo-Justinus in Quæstionibus ad Orthodoxos quæst. 85. tenet, Patriarchas ad vitam quidem immortalem resurrexerunt, sed in Cælum receptos non esse uti in superioribus observatum est.

Origenes in Matth. 7. tract. 35. insinuat, viros illos Sanctos, resurrectionis Jesu Christi comites, euntem pariter in Cælum sequutos fuisse. Luculentius tamen in Canticum Canticorum asserit, illum è mortuis resurgentem unâ secum ad vitam revocasse, quos mortis captivos detineri comperit; secum autem in Cælum non spiritus tantum sed & corpora illorum rapuisse, ut, ait ille, docet Evangelium, quo plures viros Justos vitæ restitutos in Sancta Civitate Dei viventis visos instruimus. S. Clemens Alexandrinus (o) obiter tantum rem attingens, habet tamen satis aperte, viros Sanctos, post Servatoris decessum vitæ restitutos, in meliorem alteram vitam fuisse translatos.

Eusebius Cæsariensis Demonstr. Evangel. c. 12. sub ipsis oculis vividis coloribus exprimens victoriam à Jesu Christo de morte eâ occasione relatam, addit, Jesum Christum post commendatum Patri suo spiritum, statim relicto corpore, ne expectato quidem supremo mortis ictu, interivisse; sed, ait, mortem moriendo prævenit, trementem ille victor apprehendit, & fugam tentantem retinens, coegit ad pedes victoris accidere, confregit tenebricosi illius carceris fores, quibus Sanctorum animæ clausæ detinebantur, eduxit illas, ac in dias luminis auras & animas ipsas, & se pariter revocavit; tum nobili illo satellitio stipatus, in Cælestem Jerusalem triumphans more ingressus est. Favet huic opinioni, nec obscure, S. Hilarius (p) asserens, Jesum Christum regnare in Sion, non terrestri illâ parricidii sanguine foedatâ Urbe, sed in cælesti altera, cuius, ait, & exilium hodieque incolæ sunt in Passione Domini resurgentes.

Non satis sibi constare hac in re videtur. S. Epiphanius; alibi enim exponens illud S. Pauli 1. Cor. 15. 20. Primitia dormientium Christus, observat (q), spectatos quidem unâ cum reduce in vitam Christo defunctos alios in vitam revocatos; nonnullos etiam ad vitam restituisse Eliam & Eliseum; Lazarum aliosque nonnullos restituisse pariter Jesum Christum; sed, addit, in eo Christi resurrectio à cæteris distinguitur, quod ille ad vitam immortalem redierit, isti verò omnes ita ad vitam revocati fuerint, ut morti iterum submitterentur. Alibi verò (r) agens de Justorum in terra cadaveribus, ex eo numero excipit Sanctos unâ cum Jesu Christo in vitam revocatos, & cum ipso in concla-

o Strom. 1.6. pag. 764. Edit. Cbron.

p In Psal. 2. n. 26. p. 40. Vide si lubet, & in Matth. c. 33. n. 7.

q Hæres. 64. n. 65. p. 594.

r Hæres. 75. n. 7. p. 911.

ve sponsi introductos, de quibus legimus in Evangelio, venisse in Sanctam Urbem, & spectandos pluribus sese obtulisse. Constat enim illos, addit S. Doctor, primò quidem Jerusalem terrestrem ingressos, deinde verò in Cælestem introductos, cujus fores nemini ad id usque patuerant.

Ut secum ipse S. Epiphanius concilietur, primus ejus locus explicari posset de mortuis, quibus consueta vitæ usura in corpore mortali & corruptibili restituta esset; non verò de illis, quibus subtile & gloriâ donatum corpus beneficio divino collatum fuisset (s). Lazarus, cæterique ad vitam per Eliam & Eliseum revocati, tunc ad vitam restituti sunt, eorum corpora recens in tumulum illata, neque in saniem neque in pulverem adhuc dissoluta fuerunt; mortuos verò jam inde à pluribus annis & in pulverem resolutos, stare vivos iussit Christus. Priorum caro integrum erat adhuc, & nondum marcidum frumentum granum; nec dum ad germen emittendum paratum: horum verò mollescens jam & diffuens, aptumque proinde ut germinaret. Caro ista novo vitæ spiritu fota, immortalitati germinavit.

Plus etiam variat S. Hieronymus, & majori negotio secum ipse conciliaretur. In Epistola 3. hæc scribit. Post Christum Latro in Paradisum, & idcirco in resurrectione ejus multa dormientium corpora surrexerunt, visaque sunt in cælesti Jerusalem. In Epistola verò 17. ad Paulam & Eustochium habet. Nec statim Jerusalem cælestis, sicut plerique ridiculè arbitrantur, in hoc loco intelligitur; cum signum nullum esse poterit apud homines Domini resurgentis, si corpora Sanctorum in Cælesti Jerusalem visa sunt.

Vera sunt ista quidem, si statim in Cælum recepti viri illi Sancti fuissent; qui verò tenent, illos in Cælum unâ cum Jesu transisse, habent pariter persuasum, spectatos illos prius in terrestri Jerusalem. Locus enim ille Evangelii, ubi legimus visos illos in Sancta Civitate triplici ratione exponitur: 1. Justos illos spectandos se reipsâ in urbe Jerusalem præbuisse. 2. Typum verò eorum resurrectione exhibitum spiritualis hominum resurrectionis, qui per fidem, Baptismum & proborum operum exercitium in Cælesti Jerusalem jus sibi civitatis promeruerunt, quam expositionem ipse S. Hieronymus Epist. 150. ad Hedibiam q. 8. suppeditat. 3. Non incongruè arbitraremur, illos ad Cælestem Jerusalem immortali & perpetuo gaudio fruituros ascendisse. Triplex hæc Evangelici textus expositio legitur tum apud S. Hieronymum, cum etiam apud Interpretes.

In terrestrem Jerusalem primùm, dein & in Cælestem Justos illos spectandos dicit Beda Venerabilis in Matt. 27. Superstites adhuc in Cælum unâ cum Jesu ascendisse illos, docent Rabanus Maurus, & Druthmarus in Matthæum. Paschasius Radbertus in Matth. 1. 12. pag. 1187. quæstionem agitari notat, an scilicet viri illi Sancti post resurrectionem iterum obierint,

s Vide, si placeat, eundem Epiphani. Anchor. c. 102. p. 103.

ut novæ iterum resurrectioni pararentur, quemadmodum & in Lazaro bis defuncto & bis pariter ad vitam revocando factum scimus. Addit, nihil expressum eâ de re legi in Evangelio; obtinerè autem apud plerisque sententiam, ita viros illos ad vitam revocatos fuisse, ut immortalitate & cælesti beatitudine donarentur. Porro viros illos credit testes fuisse assertæ fidei de resurrectione Servatoris, ut proinde non pòt tantum censeari, sed & credi pariter ad vitam immortalem revocatos fuisse: quomodo enim veri resurrectionis Jesu Christi & nostræ pariter assertores haberi potuissent, si à mortuis revocati morti iterum destinarentur? Nihil sanè, addit ille, satis expressum eâ de re habetur in Evangelio; sed nec contraria sententia ex eodem Evangelio, vel minimâ quidem conjecturâ, probaretur.

t De Anim. c. 53. p. 304.

Agnoscit Tertullianus (t), persuasum esse quamplurimis, Patriarchas & Prophetas ad vitam restitutos in Cælum ascendisse ut appendices Dominicæ resurrectionis. Eandem sententiam recitat S. Augustinus in Epist. 164. ad Evod. n. 9. Scio quibusdam videri morte Domini Christi jam talem resurrectionem præstitam iussit, qualis nobis in sine promittitur. Neutram ex his opinionibus probat. Sed vetus ex eo Augustini testimonio & celebris in Ecclesia persuasio satis adstruitur, quam pariter admittit Rufinus in Symboli Expositione. Ingressi sunt in sanctam Civitatem, de qua Apostolus ait: Quæ autem sursum est Jerusalem, libera est &c.

u D. Thom. 3. p. 2. q. 53. ar. 3.

Accedit his omnibus recentiorum Interpretum turba, quibus persuasum est, viros illos Sanctos ad vitam immortalem revocatos fuisse, & cælesti beatitudine in corpore pariter & in animâ donatos. Hanc sententiam proponit & nonnullis adductis argumentis fulcit S. Thomas (u), quantum ipse aliò divertit. Laudat idem pariter Orationem de Assumptione sub S. Hieronymi nomine vulgatam, in qua res illa in medio relinquatur. Nihil etiam satis certi asserit eâ de re Dionysius Carthusianus in Matth. 27. Cornelius à Lapide (x) asserit, magis communi & probabili persuasione teneri, Sanctos illos in Cælum unâ cum Jesu ascendisse. Ita revocatos ipsos ad vitam, ut ab omni secundæ mortis metu liberarentur, insinuare videtur Rupertus Abbas, cum oppositam sententiam tanquam novam quorundam opinionem notet: Qui utique (ut quidam asserunt) iterum morituri resurrexerunt [y]. Eximit pariter à morte Maldonatus.

x In Matth. 27.

y In Joan. 1.6. Comment. p. 310.

Verùm opposita huic sententia, tenens neque immortalitate neque Cælo viros illos, vitæ restitutos, donatos fuisse, alteri præstat, quæ Scripturæ Textibus quæ Patrum auctoritatibus, quæ tandem rationum momentis. S. Paulus ad Hebr. 11. 40. habet de Patriarchis: Non acceperunt re-promissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur. Non adhuc ergo illi in cælestem beatitudinem viventia corpora sua intulerunt; quid enim tunc sperandum ipsis aliud superesset?

Dissert. Calmet Tom. II.

Idem pariter Apollolus de futura resurrectione agens, asserit, Jesum Christum primitias esse dormientium excitandorum suo tandem tempore ad vitam. Profecè si quis vivens corpus suum in Cælum illatus fuisset unâ cum Christo, nemo sane præferendus videbatur Davidi, S. Joanni Baptistæ, Patriarchis, & Prophetis in Palæstina sepulture mandatis. Constat autem virorum illorum & tumulos & sacra pariter Iyphana in eâ regione etiam post Ascensionem Domini culta fuisse; ut proinde fateamur oporteat, nunquam fuisse commissum, ut ad vitam immortalem revocarentur, vel saltem aliam fuisse ejus regionis persuasionem.

S. Petrus ad Judæos Jerosolymitanos verba faciens (z), habet: Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus est, & sepultus, & sepulchrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem; ex quo inferebat Apollolus, de Jesu Christo & non de se ipso dixisse Davidem: Non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Quæ vis, rogo, esset argumenti hujus, si David gloriâ & immortalitate animâ pariter & corpore donaretur? Reposuissent tunc certè Judæi, vaticinii hujus oraculum in Davide impletum fuisse, qui in tumulum quidem fuisset illatus, sed revocatus iterum ad vitam immortalitate & gloriâ fruere.

Si quis reponat, Iyphana illa S. Joannis, Samuelis, Eliæ, Elisei, sicut & sepulchra Abrahami, Isaac, & Jacob, quæ in Palæstina, & alibi monstrarentur, nihil ad probandum intentum valere; fieri enim utique potuisset, ut vacua essent sepulchra, & Iyphana illa suspecta. Esto quidem: sed quicumque de veritate earum rerum certâ persuasionem tenebantur, illis utique contraria immortalitati illorum Sanctorum se debet opinio; ex quo adversus contrariam sententiam, utpote populorum persuasioni oppositam, magnum ducitur præjudicium.

Refutat Tertullianus (a) sententiam illorum, qui Patriarchas, & Prophetas post Resurrectionem Jesu Christi ad Cælos ascendisse tenent. Imbecillibus ille argumentis probat, animas tantum Martyrum Cælo donari: asserit insuper, scripto à se Libro probatum fuisse, animas omnes, Martyrum tantum exceptis, in Infernis usque ad diem Domini detineri (b). Hæc argumenta rejicimus, satis habentes Scriptorem hunc testem sententiæ apud Veteres plurimos obtinentis (c) attulisse; Sententiæ, inquam, tenentis sanctorum animas non prius beatitudine donandos, quam post generalem hominum resurrectionem: quod de omnibus æquè sanctis, ne iis quidem exceptis, qui ad vitam unâ cum Jesu Christo redierunt, admittunt. Unde facilis conjectura, ne probasse quidem illos sententiam de recepto illorum SS. corpore in cælestem beatitudinem.

S. Chrysostomus disertè asserit (d), viros illos ad vitam revocatos, cum Jesus Christus in Cruce adhuc penderet, obiisse iterum; & in Homilia 28. in Ep. ad Hebr.

z Act. 11. 29.

a De Anim. c. 55. pag. 304.

b Habeo etiam de Paradiso à nobis libellum, quo constitimus omnem animam apud inferos sequestrari in diem Domini. c Vide in primis Iren. 1.5. c. 31. pag. 331. nov. edit.

d Hom. 40. in 1. Cor. 15. pag. 690.

Ggg 2

br.

br. cap. 11. asserit: Affirmo post Apostolum, SS. Prophetar. & Patriarchas veteris Testamenti debitum sibi premium non adhibuisse, nolente Deo, ut ante nos retributionem obtinerent. Inter illos justos recenset Abelem, Noe, Abrahamum; & ipsam tandem Apostolum. Aded ergo longè aberrat Chrysofomus ab adstruenda corporum illorum Sanctorum beatitudine, ut ne animabus quidem concederet. Eadem fermè scribit Theodoretus in eundem locum S. Pauli (e), omnes enim sanctos, nullo excepto, opperiri ait debitas sibi coronas, & præmia. Docet Theophylactus viros illos sanctos ad vitam tantùm revocatos fuisse, ut resurrectionis Jesu Christi veritatem adstruerent; cuius signum est, ait, quod post quàm se spectandos pluribus Jerosolymæ commorantibus obtulerunt, iterum jacuerunt in sepulchro (f). Agnoscit Euthymius in Matth. 27. rediisse illos ad vitam, ut fidem adstruerent prædicantibus Jesu Christi resurrectionem; sed iterum obiisse affirmat: quæ communis est Græcorum, persuasio, sententias S. Chrysofomi plerumque adoptantium.

e In Hebr. 11. pag. 452.

f Theophylact. in Matt. 27. pag. 178.

g In Luc. c. 8. Sic & resurrectio temporalis in Passione Domini celebratur, ut perpetua illa credatur.

Asserit non ambigè S. Ambrosius, Jesum Christum gratiam futuræ resurrectionis nobis promeruisse, sed, ait, solus ipse adhuc resurrectione perpetuâ resurrexit. Et alibi (g), temporali resurrectione viros illos Sanctos ad vitam rediisse affirmat; agnoscens simul illâ æternâ nostræ resurrectionis typum exhiberi.

Patres, quorum testimonia huc usque laudavimus, non nisi obiter rem attigerunt; seridè expendit S. Augustinus in Epistola 164. ad Evodium num. 7. 8. 9. Revocat in examen argumenta serè omnia, supra à nobis deducta; & post librata utriusque partis momenta, statuit tandem, minus sibi persuaderi, justos ad vitam revocatos cum Jesu Christo, sive eodem, quo ille, tempore, sive post illum (nihil enim sibi affirmandum eâ de re censet), ad vitam immortalem revocatos fuisse. Alioqui enim credit Augustinus nunquam asseri potuisse Christo privilegium primogeniti mortuorum; vix etiam constaret illud Apostoli ad Hebræos 11. 40. Deum nimirum providentiæ suæ consilio id voluisse, ut Patriarchæ perfectam operum suorum retributionem ante nos nequaquam reciperent. Addit tandem, imbecilliolem futuram alioqui vim argumenti S. Petri, qui è sepulchro Davidis, in Judæa suâ adhuc ætate spectando, Judæis demonstrat, Davidem ipsum à corruptione expertem non fuisse, ac proinde ad alium planè spectare Textum Psalmi secundi, de quo nos supra.

h D. Thom. 3. p. 953. art. 3.

S. Thomas (h), post relatas utriusque opinionis rationes, sententiam suam profert, docet, Sanctos illos unâ cum Jesu Christo ad vitam revocatos, novâ iterum morte interisse: quam nos pariter sententiam magis conformem reputamus Scripturæ, Patribus, atque ipsi demum traditioni. Nec suâ responsione carent argumenta, quibus sanctorum æterna resurrectio probatur. Triumphum Jesu Christi satis de-

corabat ingens illud animarum satellitium, quod è longa illa tot sæculorum captivitate liberatum, secum ille triumphantis more in Cælum tunc primò patens mortalibus deduxit. Equa enim ratio volebat, triumphatorem illum à cæteris, qui pompam comitabantur, distingui, ut gloriosum ejus & immortale corpus omnium primum in gloriam, introduceretur; quod satis erat ad fidem nostram confirmandam, spem erigendam, solandos viros Sanctos, qui alioqui futuram corporum resurrectionem non secus ac nos oppetiuntur.

Cùm autem Prophetæ & Patriarchæ reipsâ ad vitam, licet deinde ponendam, redissent, documentum exhibere poterant apertissimum de veritate resurrectionis Jesu Christi; quæ si semel mortalibus constitisset, constare utique poterat futuræ nostræ resurrectionis dogma. Viri illi Sancti, qui corpus receperunt, ut de resurrectione Christi fidem exhiberent, eo jubente corpus illud sine dolore & dolorum tumultu posuerunt, statim ac munere suo functi sunt; commodum enim sibi ducebant, si voluntatem cælestis Patris impleverent. Nec Deus inconstantiæ vel pœnitudinis in eo argueretur, quod novâ illos morti permisisset; non enim nisi eâ conditione revocavit ad vitam. Hanc illis gratiam plenam utique & absolutam contulit; nihil autem illum cogebat, ut semel eâ concessâ, alteram pariter adderet, satis utique diversam, ut scilicet immortalitate corporis & Cælo donaret.

Patres illi, qui pro immortalitate Sanctorum laudantur, in tres classes distingui possunt. Alii aperto testimonio, sed nullo satis valido argumento, rem asseruerunt; alii hæsitantes & ambigè rem docent; alii tandem sibi ipsis non constant, eorumque testimonia in utramque sententiam afferuntur. Prioribus illis Patribus alios opponimus, æquè clarè & expressè, sed melioribus ductis rationibus, oppositum affirmantes. Quorum testimonia obscura sunt & ambigua, sicut & eorum, quorum pro utraque sententia momenta valent, autoritatem non moramur; æquè enim pro nobis ac contra nos laudarentur. Ejus planè generis testimonia nulla sunt; & cum Patres & Ecclesiastici Authores inter se committuntur, æqua ratio postulat, ut utriusque partis momenta expendantur. Persuasum autem habemus, Scripturæ Textus illos, quos laudavimus, multò esse clariores, quàm qui pro adversa sententia afferuntur. Accedit insuper nobis suffragium illorum Patrum, qui veluti tres columnæ Theologiæ habentur, nimirum S. Chrysofomi apud Græcos, S. Augustini apud Latinos, & S. Thomæ apud Scholasticos.

Audacter igitur affirmandum nobis ducimus, Sanctos illos ita rediisse ad vitam, ut novæ morti subderentur; è qua iterum in novam vitam statâ die revocandi sunt. Si minus aatem constet numerus, ætas, & cætera omnia, quæ ad resurrectionem pertinent, constat tamen reipsâ resurrectisse instructos corpore, non omnium quidem intuentium ocalis subiecto, nec eâ fortè

fortè gloriæ dote aucto, qua tandem fructuri erunt. Justo in gloria Cælesti; apto tamen ad persuadendam & præsentem Jesu Christi resurrectionem, & hominum futuram. Asserimus tandem, contigisse facile, ut non nisi post Domini resurrectionem, adedque post reditum ejus ab Inferis (ed

enim descendisse post obitum ad liberandas Sanctorum animas in ejus expectationem arrectas; Fides docet) Sanctos illos vitæ resitutos; quamquam Textus S. Matthæi 27. 52. 53. habet patuisse monumenta statim cum Jesu Christus in cruce spiritum emisit.

DISSERTATIO DE S. JOSEPH S. MARIÆ VIRGINIS CONJUGE.

Quæcumque de S. Josepho attingit, pauca licet, Scriptura, aded ad viri gloriam conferunt, & quæ de illo agitantur quæstiones, tanti videntur momenti, ut peculiari Dissertatione de insigni illo viro tractare opera pretium duxerimus. S. Josephus germen est Davidicæ radicis infigne, Mariæ conjux, Virginitatis ejus custos, Jesu Christi parens, & altor. Ipso S. Spiritus organo Justo titulo decoratur. En Viri decora, en agitata de illo quæstiones. Quæ Viri genealogia? quod munus? an præter S. Virginem priorem alteram conjugem admiserit? quomodo ad ejus conjugium pervenerit? cur dimittere illam cogitaverit? quo sensu Justus appelletur? quando obierit? & ubi fuerit sepultura? mandatus? Hæc modò nobis discutienda.

ARTICULUS I.

Joseph genealogia.

a Matth. 1.

b Luc. 3. 23.

c Harduin. Chronol. V. T. pag. 523.

d Hilar. in Matth. 1. Euseb. Hist. Eccl. 1. 1. c. 7. Cyrill. contra Julian. Euseb. q. 2. in Matth. Theophyl. Euthym. in Matth. 1. V. de Maldonat. in Matth. 1. 16. Grot. Brug. alios.

AD Tribum Juda, & familiam David pertinuisse S. Josephum, tradente Scripturâ sat constat. S. Paulus ad Hebr. 7. 14. scribit, omnibus exploratum esse, Jesum Christum è familia Juda satum fuisse; & Angelus ad Josephum, Matthæi 1. 20. Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Idem tandem Evangelista ejus viri genealogiam deducit ab Abraham per Davidem (a).

Plures tam inter Recentiores, quàm Veteres autumarunt, S. Lucam (b) eandem pariter Josephi genealogiam ab Adam usque ad Heli intruxisse; sed quæ negocium faciunt in hac opinione, infra examinabimus. Discutiendum est prius, an Joseph unicus esset hæres in familia David, quod Erudito cuidam recentiori (c) probatur; seu potius ille tantum ætiori quàm cæteri omnes necessitudinis vinculo necederetur Virgini; quæ cum, juxta plurimorum Patrum sententiam (d), unica esset patris sui, & familiæ hæres; ex Legis præ-

scripto (e) conjugi Josepho fuerit destinanda.

Ad primam illam difficultatem quod attinet, duobus illa Textibus preposere expositis innititur. Priori illo Angelus Josephum appellat filium David (f); secundo Gabriel hæc habet ad Mariam: Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum. Hisce duobus Textibus probatum creditur, Josephum unicum fuisse, & singularem Davidicæ domus heredem simulque Jesum Christum in hanc hæreditatem illius successisse. Stataunt proinde impletam in Jesu Christo fidem oraculi Jacob (g): Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.

Hujus ratiocinii vim me planè non affequi fateor. Joseph filius est David; unicus ergo erat in domo sua, & singularis familiaris hæres. Tum & illud: Jesus Christus regnabit in Domo Jacob, & sedebit in sede David patris sui; postremus est ergo familie illius hæres. Tantumdem profectò liceret inferre de Salomone, Roboamo, Josia, cæterisque Regibus Juda post Davidem. Nonne Jesus Christus palàm manifestavit, Regnum suum non esse de hoc mundo (h)? Nonne legimus, diu post ejus obitum Vespasianum Imperatorem solerter indagari justissime reliquias Domus Davidicæ, quibus exterminatis, defectionis, & restituendæ Monarchiæ ansam omnem Judæis adimeret (i)? Restabant ergo è Davide hæredes; nec Jesus Christus unquam ad temporale aliquod Regnum jus sibi vindicavit.

Quod attinet ad opinionem præferentem, Josephum ætissimo supra cæteros necessitudinis vinculo conjunctum fuisse cum Mariâ, unicâ in Domo suâ hærede, hæc non recens inuestâ, sed antiquissimo hæbet assertores, S. Hilarium, S. Cyrillum Alexandrinum, Eusebium Cæsariensem, S. Eucherium, Euthymium, Teophylactum, aliosque plures; sed rationes promendæ sunt. Vetusissima Evangelia Nativitatis B. Mariæ, & Protevangelium S. Jacobi aperte notant, Mariam unicam fuisse matris suæ Annæ & Joachim; sed eorum Operum autoritas, præterquam ejus opinionis V-

e Num. 36. 6. 7.

f Matth. 1. 20.

g Gen. 49. 10.

h Joan. 18. 36.

i Euseb. Hist. Eccl. 1. 3. c. 12.